DEMONSTRATIO BREVIS ET NERVOSA,


Quòd corpus, & ſanguis Chriſti, verè & realiter, in ſacra Cœna, quæ in his terris ritè peragitur, adſit, detur & accipiatur externo modo, cum pane & vino: non FIDE tantum, aut SPIRITVALITER: ſed etiam ore corporis: tam ab INDIGNIS, quàm à dignis: & quòd contraria docentes, cum Auguſtana confeſsione conſentiendo, erroris & hæreticæ opinionis neceſſario palàm accuſemus & damnemus.

MENTO GOGREF A LVPPfurt S. Th. d. D. Sicamber, Illuſtri ac generoſiſs. D. Iohanni Ruebero à Concionibus ſacris.

Cyprianus:

Si ſolus Chriſtus audiendus, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putârit, ſed quid prior Chriſtus, qui ante omnes eſt, fecerit. Neq; enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei VERITATEM.

1.



Voniam hoc tempore cùm à clanculariꝭs, tum à manifeſtis Sacramentariꝭs, variꝭ, multiplices & noxiꝭ errores paſsim ſparguntur & diſſeminantur, de ABSENTIA corporis Chriſti à ſacra Cœna, quę in hiſce terris peragitur, deq́; MODO percipiendi illud, non grauabor, denuò ſumma ſequens faſtigia rerum, de hac lite & bello ſententiam noſtram paucis & ſuccinctè declarare, ac teſtatam facere palàm. 1.

2.

A principio igitur ſentio verba filiꝭ Dei, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, nullis omnino gloſsis aut ſophiſmatibus eſſe inuertenda, & ad peregrinum ſenſum traducenda, ſed in ſua propria ſignificatione accipienda, vt ea ſua naturali & genuina indicatione communiter valent, & ab omnibus ſanæ mentis hominibus accipiuntur.

3.

Sermo enim vſu valet, penes quem eſt arbitrium & norma loquendi.



4.

2. Credo igitur Christo affirmanti, quòd corpus & sanguis eius verè, & realiter, seu quod hic nobis idem est, substantialiter in sacra Cœna adsit, detur & accipiatur externo modo, cum pane & vino.

5.

Non FIDE tantum, aut Spiritualiter: idq; tam ab INDIGNIS quam à dignis sumatur:

6.

Et contraria docentes, cum Augustana orthodoxa confessione consentiendo, freti Christi institutione, & enunciatis, damnamus.

7.

Cuius Fidei nostræ rationes & firmamenta sunt hæc:

8.

1. Christus iubet nos scrutari scripturas, & negat vel VNICVM iota aut apicem frustra positum, aut irritum redditum iri, quin potius ac prius cœlum & terram corruituram.

9.

Quapropter nequaquam nobis licet in

sacris

ſacris literis, ſingulares quoque voces aut etiam apices negligere.

10.

Sed oportet nos earum vim naturamq́; diligentiſsimè obſeruare, & expendere, indeq́; res ipſas ſenſuſq́; agnoſcere,

11.

Quàndoquidem verba ſunt notę rerum, & ad hoc ipſum à Chriſto, Apoſtolis, & Prophetis adhibentur, vt per illas verborum notas res ac ſenſus Dei intelligamus.

12.

Chriſtus diſertiſsimè inquit: Hoc eſt 2.
corpus meum:

13.

Haud dubiè idipſum & ille ſenſit, & nos ſentire voluit, quod tam clarè ſerioq́; affirmauit, quod etiam toties per ſuos Euangeliſtas repeti & inculcari voluit.

14.

Certè Chriſtus noluit ſuos in re tam SACROSANCTA ſimul & adeo periculoſa, præſertim iam moriens, phaleratis verbis decipere.

15.

Horrenda igitur, & Gigantea audacia eſt, in tam ſacroſancto Myſterio, ac vltima voluntate & Teſtamento Filij Dei, à tam expreſsis, perſpicuis ac præpotentibus verbis diſcedere.

16.

Paſsim in ſcriptura, vbi quid figuratè dicitur, aut ſtatim ac propalàm cernitur Tropus, ſeu ſermonis improprietas modificatiouè, aut mox Spiritus S. id alijs verbis declarat, aut denique paulò poſt, vel etiam alibi id repetens, exponit:

17.

Quorum tamen nihil hîc fit, aut de iſto dicto alibi dicitur.

18.

Quod eſt non obſcurum teſtimonium, quod illa dicta ſimpliciter intelligenda ſint.

19.

Certè enim Spiritus ſanctus, toties eam ſententiam iterando, & eadem ipſiſsima verba in pleriſq; locis retinendo, ac inculcando, ac nuſquam Tropum vel Modum indicando, abundè teſtatur, illa ipſa verba PROPRIE, & non per aliquam modificationem accipienda.

20.

Sic propriè & simpliciter verba Sacræ 4.
cœnę intellexit & Paulus dicens:

21.

Panis fractus, aut panis fractio est communicatio, aut participatio corporis Christi.

22.

Quod dictum etiam ipsi Aduersarij his ipsis verbis, non raro exponunt.

23.

Cum igitur Paulus sentiat, panis fractionem, aut sumtionem esse corporis Christi participationem, necessario intelligit simpliciter, propriè & ad verbum, Christi dictum.

24.

Eundem suum intellectum verborum Christi, Paulus eo dicto etiam testatur, cum dicit, indignos quoq; in comedendo non diiudicare corpus Domini, quod idem est, ac sine diiudicatione suscipere, & reos illius fieri, sic eo abutendo.

25.

Eodem modo & D. Iohannes eadem 5.
verba intellexit, affirmans in terris esse ac

teſtari de Chriſto non tantum Spiritum, ſed etiam Aquam & Sanguinem.

26.

Quod neceſſario intelligi debere de ipſis duobus Sacramentis contextus liquidò oſtendit.

27.

Intellexerunt ita illud dictum etiam Patres, atq; adeo etiam Oecolampadius ipſe in commentarijs, & Caluinus in inſtitutionibus.

28.

Quapropter iſtis duobus locupletibus & ſummæ fidei Teſtibus certo fidem adhibeamus, verba illa ſacræ Cœnæ propriè & ſimpliciter intelligenda, & in ſimplici, proprio, genuino & natiuo ſenſu ac intelligentia, conſtanter retinenda eſſe:

29.

Et verè in terris, in hiſce, inquam, terris, corpus Chriſti præſto adeſſe, & ſumtum in ſacra cœna, veluti memoriale quoddam teſtari de Chriſto eiuſquè meritis ac beneficijs, iuxta illa Sacroſancta Chriſti verba: Hoc in memoriam mei facite.

30.

Chriſtus

Chriſtus enim omnipotens, poteſt integer & totus præſto adeſſe, quocunque ſe alligauit ſuo ipſius verbo, & ſe totum ſingulis manducantibus ac bibentibus impertiri in Cœna:

31.

Sicut vna vox à multis millibus audita, à ſingulis, non in partes diſcerpta, ſed integra & perfecta percipitur.

32.

Formula noui Fœderis, Hic eſt ſanguis 6.
meus noui Teſtamenti, manifeſtè ex veteri fœdere Exod. 24. ſumta eſt.

33.

Quod etiam ex Hebr. 9. vbi ea inde citatur, patet, & aduerſarij quoq; præſertim BEZA, & CALVINVS confitentur.

34.

Solummodo igitur Chriſtus differentię cauſa adiecit duas voculas, nempe, MEVS, vt non intelligatur de victimarum ſanguine, & NOVI, ad diſcrimen veteris Teſtamenti.

35.

Quare cum illa formula olim ſit propriè & nõ figuratè accepta, neceſſe eſt iam

quoquè eam propriè accipi.

36.

7. Conferunt iſti locutionem ſacræ Cœnæ cum quibuſdam dictis veteris Teſtamenti, ac ex illorum intellectu, volunt huiꝰ ſenſum contra natiuam & genuinam vim, fingere, quæ tamen ipſa nuſquam ita leguntur.

37.

At quanto iuſtius fuerit, eiꝰ intellectum ex ipſamet ſumere, vel eam ſecum conferre, ac ex eo ſenſu aut intellectu, in quo olim vſurpata fuit, æſtimare, vt nos modo fecimus?

38.

Haud dubiè enim Spiritus S. tàm ſacra fœderum formula nunc quoque in eodem ſenſu vtitur, in quo olim in ſimili fœderum cum populo ſanciendorum, aut Sacramentorum materia vſus eſt.

39.

Cum autem ea in hoc Sacramento propriè & ad verbum, ac de præſenti, ſeu coram exhibito ſanguine intelligatur, proculdubiò, altera quoque pars, aut locutio, de corpore Christi dicta, itidem propriè

accipi-

accipienda eſt, de corpore Domini ibi coram exhibito.

40.

Illa ipſa ſumma incertitudo, inſtabili- 8.
tas, ac varietas, atque adeo multiplex contradictio opinionum circa verba Teſtamenti Chriſti, omnium eorum, qui à ſimplici ac natiuo, proprioq́; horum verborum intellectu recedunt, abundè tum ipſorum ſententiæ vanitatem, tum etiam noſtræ veritatem ac firmitatem confirmant, comprobant, demonſtrant.

41.

Nam iſti nec certam vocem, in qua ſit Tropus immotè proferre ac comprobare poſſunt:

42.

Nec ipſum Tropum ſeu Modum quisnam ſit, certò definitè & immotè demonſtrare, nec certum proprijsq́; verbis expreſſum textum dare, aut denique certum ac perſpicuum ſenſum proponere, & confirmare queunt. Id verò verius eſt.

43.

Inde eſt, vt ſit infinita ſententiarum, interpretationum, Troporū ac Modorum

iſtorum

iſtorum hominum diuerſitas:

44.

Quorum magnam non tantum varietatem, ſed etiam contrarietatem, tum olim ter maximus & diuinus ille Lutherus p. & S. memoriæ, tum etiam alij multi collegerunt, ac publico ſcripto demonſtrarunt, citatis ipſorum proprijs verbis ac dictis.

45.

Exempli gratia: Caroloſtadio pronomen demõſtratiuum, Hoc, monſtrat illud ſedens Domini corpus:

46.

Laſco monſtrat totam illam actionem vt ea tota dicatur corpus.

47.

Zwinglio verbum, Eſt, idem valet, quod ſignificat.

48.

Oecolampadio corpus idem eſt, quod figura corporis:

49.

Alijs, quod ſignum, aut ſymbolum:

50.

Alijs, quod meritum, aut paſsio:

51.

Alijs,

Alijs, quod efficacia quædam, aut influentia quędam cœlitus ſtillans aut defluens,

52.

Seu etiam ABSTRACTVM quoddam, vt quidam, iſtorum primarius Magiſter, philoſophatur.

53.

Summa, non eſt quiſquam illorum ſcriptor, qui non in horum verborum interprętatione à SEMETIPSO diſsideat, aut qui non ſecum pugnet varietate interpretationis, & etiam ſenſus, ac denique integræ ſententiæ horum verborum.

54.

Quapropter hinc manifeſtiſsimè ſequitur, perſpicuumq́ꝫ euadit, & iſtos præuaricari in ſacræ Cœnæ Textum, dum eum ad Tropum trahunt, ac detorquent, & contrà noſtram eius ſecundum proprietatem verborum acceptionem veram ac genuinam Chriſti mentem eſſe.

55.

Declamitant iſti perpetuò, panem eſſe tantum ſignum corporis Chriſti, & verba illa, Hoc eſt corpus meum, exponenda eſſe, Hoc eſt ſignum corporis mei.

56.

56.

Contrà obſerua, vbinam Filius viuentis Dei poſuerit ſignum, ibi & TV pone, nòn vbi mortales mendaceſq; homunciones, qui & falli, & fallere ſolent.

57.

CALVINVS ponit ſignum initio illorum verborum, Hoc eſt corpus meum.

58.

At Chriſtus ponit poſt omnia iſta, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, nempe in verbis, Hoc facite in memoriam mei.

59.

Crede Chriſto, non Sacramentarijs, Berngarij poſteris.

60.

Quòd autem Chriſtus poſuerit & voluerit ibi intelligi ſignum, manifeſtum eſt.

61.

Quicquid enim fit in memoriam alterius, id eius Mnemoſynon, aut ſignum memoriale eſt, quod negari non poteſt.

62.

Non igitur panis eſt propriè ſignũ corporis, ſed tota illa Actio, nempe, ſumtio

& come-

& comestio panis, qui est verum corpus Christi, & potio vini, quod est sanguis Christi.

63.

Ea, inquam, est signum memoriale Christi, admonens nos, Christum esse nostrum, nobis datum, & pro nobis passum.

64.

Confirmant quoq; hanc intelligentiam verborum Cœnæ sacræ, perpetuæ istorum definitiones, quarum aliquas etiam veteres vsurpârunt.

65.

Vt quòd Sacramentum sit signum gratiæ, TOTVM, inquam, Sacramentum, non solum Elementum.

66.

Confirmat hanc sententiam Paulus, qui dicit Circumcisionem esse signum iustitiæ gratuitæ, Rom: 4. nempe, totum illud Sacramentum intelligens.

67.

Confirmat & istorũ Antesignanus LASCVS, qui copiosè disputat, non ipsa nuda Elementa, sed totas actiones esse PROPRIE signa in Sacramentis.

68.

68.

Falſa igitur ac prorſus violenta eſt interpretatio Cinglianorum, qui ita Sacroſanctum Teſtamentum Chriſti torquent, tanquam ſi ille dixerit, Hic panis eſt ſignũ corporis,

69.

Cum ille contrà claris verbis teſtatus ſit, totam illam ſacram actionem, ſeu ſumtionem panis ac corporis, vini & ſanguinis Domini, eſſe ſignum memoriale ipſius & paſsionis eius.

70.

Illud igitur recordari Domini & ipſius Mortis, eſt PROPRIE illa ſpiritualis MANDVCATIO, cuius iſta CORPORALIS ſignum eſt.

71.

Quam Spiritualem iſti falſò in verbis: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, comminiſcuntur.

72.

Crede igitur potius Chriſto veraci, non hominum ſeductorum, & ſeducentium turbæ fallaci.

73.

Si tutus

73.

Si tutus eſſe à deceptionibus Antago- IO
niſtarum in ſacra Cœna vis, oportet te, chriſtiane Lector, obſeruare, bis ibi nobis Chriſtum expreſsè offerri, & DVAS PERCIPIENDI RATIONES monſtrari:

74.

Semel proponitur nobis tantum corpus & ſanguis Ipſius, VT ESSENTIA Sacramenti:

75.

Secundò TOTVS Chriſtus cum omnibus ſuis donis, meritis, ac beneficijs, tanquam fructus huius Sacramenti.

76.

Primùm igitur clarè offert Dominus communicantibus tantum corpus ac ſanguinem ſuum, cùm de datis in cibum ac potum rebus pronunciat, illa eſſe corpus ac ſanguinem ſuum, eaq; accipere, edere, & bibere iubet.

77.

Indicat quoque ibidem EXTERNAM eius percipiendi RATIONEM ſeu MODVM.

78.

Nam verba Accipite & comedite, necessum omnino est, de EXTERNA acceptione intelligi, vt ex textu ipso euidentissimè patet.

79.

Sicut enim Dominus EXTERNO modo dedit, ita etiam accipi voluit.

80.

Quòd si sic illa verba intelligenda non sunt, sed TANTVM de INTERNA quadam COGITATIONIS aut FIDEI ACCEPTIONE, tum planè tota sacra Cœna aboletur.

81.

Quis enim non expressè à Domino iussus audebit cœnam talem peragere?

82.

SECVNDA VICE itidem euidenter offert sese nobis Christus, illis verbis: Quod pro vobis traditur, & pro vobis effunditur, & : Hoc facite in mei memoriam.

83.

Non enim ibi ociosa, aut inutilis memoria præcipitur, qualem absentium hominum frustra peragimus.

84.

Sed

Sed planè OPEROSA, Christi APPREHENSIVA, nobisq́ꝫ SALVTARIS.

85.

Qua videlicet credimus ac certò statuimus, eum nobis à Patre donatum, pro nobis nostraq́ꝫ salute passum esse, nosq́ꝫ ingentibus bonis, sua morte partis, ditare, quaq́ꝫ eum verè apprehendimus, & omnibus horis nobis, credentes applicamus, propriumq́ꝫ reddimus.

86.

Quare illa verba, Pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, &: Hoc in mei memoriam facite, tantundem valent, ac CREDITE, quòd ego cum omnibus meis bonis sim vester, meq́ꝫ ita FIDE accipite.

87.

Vt Ipse illic verè sese nobis totum donet, vnà cum passione ac omnibus thesauris & diuitijs suis.

88.

Docet nos Dominus etiam MODVM ac Instrumentum, quo Ipsum in hac posteriori exhibitione accipere debeamus, nempe, per FIDEI memoriam, non autem otiosam, vt dixi:

89.

Sed talem, qua certò credimus, eum olim nobis à Patre ſuo donatum in Mundum veniſſe, noſtri boni cauſa incarnatum, paſſumq́; eſſe, & reſurrexiſſe, ac in cœlum aſcendiſſe, ſemper ſe ac omnia ſua parta bona, nobis per hanc fidei memoriam, aut cogitationem apprehenſiuam diſtribuere & applicare, nos iuſtificare, per Spiritum ſanctum illuminare, & renouare, adoptare, ac vita æterna donare, cœloq́; beare.

90.

Hæc eſt INTERNA & SPIRITVALIS eius ſumtio, ac MANDVCATIO, quam planè falſò, ac violenter intorto & peruerſo textu ſacri Teſtamenti in priora illa: ACCIPITE & COMEDITE, Hoc eſt corpus meum, &c. intrudere, ſed fruſtra, conantur.

91.

DVAE ergo, DVAE, inquam, cùm propalàm ſint DONATIONES Chriſti in ſacra Cœna, & DVO MODI eum PERCIPIENDI, VTRAQVE SVMMA FIDE, ambabusq́; (vt dicitur) manibus retinenda eſt.

92.

Quandoquidem etiam DVPLICES potiſsimum quaſi fures habent.

93.

Nam poſteriorem SPIRITVALEMq́; ſub ſpecie ac oſtentatione illius prioris & EXTERNAE nobis Papiſtæ auferre moliuntur:

94.

PRIOREM verò nobis iſti alij Aduerſarij (Sacramentarios, prolem Berngarij, intelligo) ſuffurari conantur, Dum hanc poſteriorem Spiritualemq́; ſimulant ſeſe nobis venditare.

95.

Illa etiam euidens nota VANITATIS II.
OPINIONIS iſtorum eſt, quód nullam illi interpretationem ac ſenſum verborum huius ſacroſancti Teſtamenti excogitare ac reperire poſſunt, qui non ſecum ipſe, & præſertim cum textu, & verbis ſacræ Cœnæ propalàm pugnet: vt à multis hactenus publicè pleniſq́; ſcriptis, veré ac ſolidè eſt demonſtratum.

96.

Neceſſe autem eſt omnem ſenſum, ac

gloſſam cum textu pugnantem, FALSAM eſſe.

97.

2. Poſtremò (vt innumeras alias veritatis DEMONSTRATIONES omittamus) quis vnquam homo fuit tam peruerſus, vt moriens ſuum Teſtamentum improprijs ac obſcuris verbis locutionibuſq́; condere voluerit, conatuſúe ſit.

98.

Sed potius in id tota mente totoq́; animi impetu incumbunt omnes ſanæ mentis homines, vt quàm maximè, perſpicuè, & oratione proprijſsima, condentes ſua Teſtamenta, loquantur, quò omnem ambiguitatem, errorem, omnemq́; litis materiam, ac occaſionem excludant, auferantq́;.

99.

Quantò magis id neceſſum eſt, nos ſentire, ac ſtatuere, de, FILIO DEI, optimo Doctore, & noſtræ ſalutis ſtudioſiſsimo fratre, præſertim in tam graui, & tum ſalutari rectè vtentibus, tum etiam pernitioſo abutentibus, Myſterio, quod cognoſci & intelligi voluit ab omnibus hominibus, doctis & indoctis?

100.

Quare ſummum nefas fuerit concedere. Chriſtum ita impropriè locutum eſſe, vt nulla certa interpretatio, & ſenſus reperiri, ac demonſtrari comprobariq́; poſsit.

101.

Sicut iſti ſanè volunt, qui tam varias, ac incertiſsimas, atq; adeo contrarias interpretationes quotidie comminiſcuntur, ſibiq́; id licere etiam audaciſsimè, & perfricta fronte, contendunt.

102.

Oſtendi, vel potius indicaui aliquot firmiſsimas rationes, cur omnino oporteat propriè verba ſacræ Cœnæ accipi, & non figuratè,

103.

Et cur debeamus credere corpus Chriſti verè in ſacra Cœna adeſſe,

104.

Et realiter cum pane, & vino exhiberi externo modo ſumendum.

105.

Ex hiſce autem omnibus liquidò apparet, nos ſequi in controuerſia Sacramentaria integrè & bona fide, ſententiam de-

cimi Articuli Auguſtanæ confeſsionis, & vberioris in Apologia declarationis.

106.

Decimus autem Articulus in incorrupta confeſsione Auguſtana ſic habet ad verbum:

De Cœna Domini docent, quòd corpus & ſanguis Chriſti verè adſint, & diſtribuantur veſcentibus in Cœna D. Et improbant ſecus docentes.

TESTIMONIA QVÆDAM veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum: quibus probatur corpus, & ſanguinem Chriſti, ſumi in Cœna ORE corporali.

AVGVSTINVS lib. 12. contra Fauſtum, cap. 9.

Mediatorem Dei, & hominum, hominem IESVM Chriſtum, carnem nobis ſuam manducandam, bibendumq́ʒ ſanguinem, dantem, fideli corde, atqʒ ORE ſuſcipimus.

Epiſtola 118.

Placuit Spiritui ſancto: vt in honorem

tanti

tanti Sacramenti, in OS Chriſtiani prius Dominicum CORPVS intraret, quàm cæteri cibi.

Sermone de tempore 215.

Videte fratres chariſsimi, ſi iuſtum eſt: vt ex ORE Chriſtianorum, VBI CORPVS Chriſti INGREDITVR, luxurioſum canticum, quaſi venenum diaboli, proferatur.

CYPRIANVS ſermone de lapſis.

Sanctificata ORA cœleſtibus cibis, poſt corpus, & ſanguinem Domini, prophana contagia, & idolorum reliquias reſpuerũt.

CHRYSOSTOMVS in Matth. Homil. 59.

Quæ venia nobis dabitur: Imò verò quæ ſupplicia non perpendemus: quando linguam noſtram, qua Dominicam deguſtauimus carnem, diaboli ſponté linguam efficiemus.

Idem Homil. 6. in 1. Epiſtola ad Timoth.

Nihil amarum, nihil durum ea lingua

 profe-

proferat, quæ diuinis rebus aſſueta eſt: nihil ex illo ORE prodeat: quod DOMINICO GORPORE ſæpius ſaginatur.

In cap. II. Epiſtolæ I. ad Corinthios.

Hæc facis, ea præſertim die: qua carnem eius, lingua contingere dignus effectus es. Et, vt hæc tibi non accidant: inſtrue dextram linguam, & labia, quæ in te, ad INGRESSVM Chriſti, veluti veſtibula facta ſunt.

In ſermone de Euchariſtia.

Reputate ſalutarem Sanguinem, quaſi è diuino, & impolluto latere effluere, & ita approximantes, puris labijs accipite.

THEOPHYLACTVS in cap. 13. 2. Epiſt: ad Corinth:

Cùm Dei nos ad Templum præferimus: OS quidem, quod eſt huius Templi veſtibulum, deoſculamur: per IDIPSVM præterea CHRISTVS INGREDITVR: cùm ſacroſanctum ſumitur corpus.

CYPRIA-

CYPRIANVS in ſermone de lapſis.

Alta, & erecta ceruix, nec quia cecidit, inflexa eſt. Tumens animus, & ſuperbus, nec quia victus eſt, fractus eſt. Iacens ſtantibus, & integris vulnèratus minatur: & quòd non ſtatim Domini CORPVS, inquinatis manibus accipiat, aut ORE polluto, Domini SANGVINEM bibat, Sacerdotibus ſacrilegus iraſcitur.

AMBROSIVS ad Theodoſium Imperatorem, vt ſcribit Theodoretus lib. 5. cap. 18.

Quibus oculis aſpicies Domini templum? quibus calcabis pedibus ſanctum illius pauimentum? quomodo manus extendes, de quibus adhuc ſanguis ſtillat iniuſtus? quomodo huiuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum Domini corpus? qua temeritate ORE tuo poculum ſanguinis precioſi percipies? quando furore verborum tuorum, tantꝰ iniuſtus eſt ſanguis effuſus?

Et iterum Theophylactus in 3. cap. ad Coloſs.

Apertè

Apertè, veſtro ORE, dixit, id eſt, quòd ex Dominici corporis communicatione ſanctificatum eſt. Abſurdum itaqꝫ, vt OS illud ſermonis fœditate coinquinetur: quod Chriſtum ſuſcipit.

GREGORIVS lib. 4. Dialog.

Eius quippe caro ibi ſumitur: cuius ſanguis iam non in manus infidelium, ſed in ORA fidelium infunditur.

Idem Homil. 22. in Euang.

Quid namque ſit ſauguis agni, iam non audiendò, ſed bibendo didiciſtis. Qui ſanguis ſuper vtrunqꝫ poſtem ponitur, quando non ſolum ORE corporis, ſed etiam ore cordis hauritur.

LEO Papa in ſermone 6. de Ieiunio.

Sic ſacræ menſæ communicare debetis: vt nihil prorſus de veritate corporis Domini, & ſanguinis ambigatis. Hoc enim ORE ſumitur, quod fide creditur.

Huc pertinent loca ſanctorum Patrum: quibus oſtendunt, Chriſtum intra nos ſumi in

mi in

mi in Cœna eius: nec animam tantum, ſed corpus etiam noſtrum, ad reſurrectionem mortuorum, & vitam æternam paſci carne, & potari ſanguine Domini.

CHRYSOSTOMVS Homil. 60. ad populum Antiochenum.

Quod nunc dicunt: Vellem ipſius formam aſpicere: figuram, veſtimenta, calciamenta. Ecce, eum vides: ipſum tangis, ipſum manducas: & tu quidem veſtimenta videre cupis. Ipſe verò tibi concedit, non tantum videre, verùm & manducare & tangere, & INTRA TE ſuſcipere.

TERTVLLIANVS lib. de Reſurrectione carnis.

Caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur: vt & anima de Deo ſaginetur.

IRENAEVS libro 5.

Quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei: quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur?

